

qui aliis aerem indulsit etiam invitis.¹⁸ Quae circa eos¹⁹, a quibus auxilium post Deum speramus optimum, sequius geruntur, non excuso: et sunt nonnulla, quae illis invidiam creant. Sed haec coram, neque enim quidvis audemus. Gallus quod minora exspectatione praestitit, ideo factum imprimis est, quod de dirutis pontificiorum nidis ac abactis monachorum Iesuitarumque sordibus plusculum inaudierat.²⁰ Sed et Oedenheimium²¹ ad Rhenum tradi suo imperio voluit, quod id ad iurisdictionem Trevirensis foederati sui pertineret. Nunc legatione proxima²² regi illi ita responsum fuit, ut se meliori deinceps animo caussam Germanorum procerum futurum stipulatus sit. Esset et ab Anglia²³ auxilium, nisi illi, quibus aurum Hispanicum oculos ferit, qui in ea aula non desunt, obstarent et inter regem ac parlamentum, quod vocant, suspiciones immaturas, discordiam litesque serere conarentur. Spondebat tamen, cum Heidelbergae nuper ad explorandum aulae illius statum essem, auspiciosa senex optimus Lingelshemius,²⁴ qui consilia illic ut antea ferme moderatur. Feria et Altringerus,²⁵ quorum copiae quotidie frigore et coeli pariter annonaeque iniuria decrescunt, si quid moliri conabuntur, Birckefeldius et comes Rheni²⁶ sunt, qui coepta eorum facile, ut speramus, inturbabunt. Foederi Coloniensi nomen suum Neoburgicum principem²⁷ quoque dedisse, adeoque praefectum illarum legionum futurum esse, fama equidem fuit: nunc diversa nuper omnia, et ignarum esse ait illum, quo se rebus tam dubiis vertat, ex ipsa eius aula perscripsit Venator²⁸ noster, quem nosti.

Vratislavienses nostros nescio quid rixarum cum Trandorfio ac praefecto Arenae ob vini quaedam plaustra his diebus habuisse,²⁹ Lipsia nunc mihi scribitur ab eo³⁰, qui fide digna saepe mihi nunciat. Nolim, et crabrones toties qui excitat, neque sibi neque famae suae [667] consulit. Vale, vir nobilissime, et celsissimis principibus nostris me commenda.

Coloniae ad Spream. Postr. Cal. Ian. stili Gregoriani, quas ut auspiciores esse anno priori nobis sinat, Deum ex animo precamur.

Nobilissimi nominis tui cultor studiosissimus

M. OPITTIUS.

Ihr Fürstl. Gn. unsern beiderseits gnädigen Fürsten und Herrn befiehet sich H. Obrister Werder³¹, den ich vergangener tage bei Ihr F. Gn. Fürst Ludwigen von Anhalt, so mir alle gnade erwiesen, angetroffen.³² H. Cost³³, Stattmeister zue Hall, grüsset meinen geehrten herren in optima forma.

I

Fürst Ludwig schenkt Martin Opitz ein Exemplar des Gesellschaftsbuchs

Q [Strichrahmen]: Der | Fruchtbringenden | Gesellschaft | Vorhaben/ | Nahmen/ | Gemählde | Vnd | Wörter. | Nach jedweders einnahme | ordentlich | In kupffer gestochen | mit | Vndergesetzten teutschen Reimen. O. O. u. J. [1629/30]. Biblioteka Gdańska Polskiej Akademii NAUK: Dc 3415. 8°. Auf der Rückseite des Titelblatts eingeklebt-